

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

Electis Dei Per Universum Orbem Dispersis Ioannes Miseratione divina  
Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyter Cardinalis Bona  
Gratiam & pacem quae superat omnem sensum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

ELECTIS DEI  
PER UNIVERSUM  
ORBEM DISPERSIS  
IOANNES

*Miseratione divinæ*

Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyter

CARDINALIS BONA

Gratiam & pacem quæ superat omniem sensum.



Vnc libellum Vobis offero, quà par est venera-  
tione, felices animæ, vasa honoris & misericor-  
dia, genus electum, gens sancta, Filii Dei desti-  
nati ad gloriam ante mundi constitutionem,  
qui pretioso sanguine Christi redempti; & à servitute pecca-  
ti dono gratiæ ipsius liberati, ignominiam crucis non erubes-  
citis. Vobis enim datum est nosse mysteria regni cœlorum,  
qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque  
ex voluntate viri, sed ex Deo nati estis. Vos elegit Pater cœle-  
stis in partem sortis Sanctorum, ut essetis sancti, & immaculati  
in conspectu ejus in charitate, in quo prædestinati estis, non se-  
cundum opera vestra, sed secundum propositum voluntatis  
ejus. Pro Vobis Dei Filius oravit, cum transiturus de hoc  
mundo ad Patrem dixit: Manifestavi nomen tuum homini-  
bus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos  
dedisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro  
his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Pro mundo autem  
non oravit, quia omne, quod est in mundo, concupiscentia  
carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite,  
quæ non est ex Patre. Ideo non audiunt verba vita; qui de-

Lij

mundo sunt: & si audiunt non intelligunt, quia animalli  
 homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Et Christus  
 quidem lux vera est quae illuminat omnem hominem ve-  
 nientem in hunc mundum, sed mundus eum non cognovit,  
 nec videt eum, nec scit eum, nec spiritum veritatis  
 potest accipere. Hoc est autem judicium, & causa damnationis  
 reproborum, quia lux venit in mundum & di-  
 lexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim  
 eorum mala opera, & omnis qui male agit, odit lucem. Quod  
 si in vita, & prædicatione sua Christus lux fuit, præcipue  
 tamen universo mundo in cruce resplenduit; lignum enim il-  
 lud, in quo errant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit  
 docentis. Audiamus ergo quid nos doceat. Id nimurum docet  
 moriens, quod docuerat vivens: qui non bajulat crucem  
 suam, & venit post me non potest meus esse discipulus.  
 Crucem igitur amplecti, & Christi sequi vestigia salus nostra  
 est: in cruce plenitudo meritorum reperitur: & hac Christianorum  
 sublimior philosophia scire Christum, & hunc crucifixum.  
 Atque utinam hac principia, & documenta Vita Christiana  
 legentibus aperiat Deus cor ad intelligendum, dispellens  
 tenebras ignorantiae, & sanans anima languores, ut erepti de  
 potestate tenebrarum ad agnitionem veritatis perducantur.  
 Hujus rei gratia Deum oro, ut det illis virtute corroborari per  
 spiritum ejus in interiorum hominem, ut charitas in eis magis  
 ac magis abundet, ut sint sinceri & sine offensa, repleti fructu  
 justitiae, Deo per omnia placentes, sine querela, & sine repre-  
 hensione. Hoc votum meum pro illis est: pro me autem Deum  
 precor, ut mentem meam luminis sui claritate perfundat, &  
 meam imbecillitatem brachii sui potentiam confirmet, ne qui  
 aliis prædico, moribus doctrina repugnantibus reprobis efficiar.  
 Vos etiam rogo amici Dei, & oves pascuae ejus, memores mei  
 estote in orationibus vestris, ut quod haec pagina docent, operibus  
 comprobem, meisque legibus obtemperem, eo vires largiente  
 qui dicit: Sine me nihil potestis facere: qui cum Patre, &  
 Spiritu sancto unus est Deus, unus est Dominus, gloriosus  
 & superexaltatus in secula. Amen.